

# Alte Drucke

**DE RATIONE || STVDII, AC LE=||GENDI,  
INTERPRE-||tandiq[ue] autores, Erasmi || Rot. libellus  
au-||reus. || Officium Discipulorum, ex Quintiliano. || ...**

**Erasmus, Desiderius**

**Lugduni, 1541**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150976**

2

# DE RATIONE

STUDII, AC LE-

GENDI, INTERPRE-

tandic<sup>z</sup> autores, Erasmi

Rot. libellus au-

reus.

\*

Officium Discipulorum, ex Quintiliano.

Qui primo legendi, ex eodem.



APVD SEB. GRYPHIVM  
LVGV DVNI,

1541.

2

**E R A S M V S R O T**  
P E T R O V I T E R I O , L I B E R A  
l i u m d i s c i p l i n a r u m p r o f e s s o r i e x i m i o

S . D . P .

**N**AE tu rem istam mi Petre suauissime , & perspicis  
acute, & graniter, uereq; iudicas , plurimū referre,  
qua ratione, quoq; ordine quid instituas, idq; maximū ha-  
bere momētū, cū cæteris in rebus omnibus, tum uero præ-  
cipue in bonarū studijs literarū. An non uidemus in getia  
pondera, si arte adhibeas, minimo tolli negotio, que nul-  
lis alioqui uiribus moueri poterant? Quemadmodū & in  
bello non perinde refert, quantis copijs, quantisq; uiribus  
hostem adoriaris, ut quam probe instructo exercitu , quo  
cōsilio, quoq; ordine pugnam capessas. Ac multo celerius  
quò tendunt, perueniunt ij, qui semitas compediarias no-  
runt, quam qui amnem (ut ait Plautus) duce sequuntur,  
& uel contempto Pythagora m̄s λεωφόρος ingrediuntur,  
uel uarijs etiā errorū ambagibus circunaguntur. Proinde  
rogas, ut tibi studiorū ordinē, ac uiā, formamq; prescribā,  
quam tu, ueluti Thesei filum secutus , & in autorū laby-  
rinthis citra errore uersari queas, & ad eruditioñis sum-  
man celerius emergere, uel magis aliorū studijs cōsulere,  
quos bonis literis instituis. Quādoquidem ipse iam pro-  
pēmodū ad eruditioñis fastigium peruenisti. E quidē pro  
mea certe uirili non grauatin parebo homini tam amico,  
ut nephā sit quidvis etiam flagitanti negare, nedum rem  
tam honestam, tamq; frugiferam. Quod si senseris nostrum  
hoc consilium tibi commodo fuisse , tui candoris erit, &  
alijs ad bonas literas enitentibus, digito uiam indicare.

PRIN



R I N C I P I O duplex omnino uideatur cognitio, rerum ac uerborū. Verborum prior, Rerum posterior. Sed nonnulli dum cōficiunt (ut aiunt) ad res discēdas festinant, sermonis curam negligunt, & male affectato cōpendio, in maxima incident dispensia. Etenim cum res non nisi per uocū notas cognoscantur, qui sermonis uim non calleat, is paſsim in rerū quoq; iudicio cœcutiat, hallucinetur, deliret necesse est. Postremo uideas nullos omnium magis ubiq; de uoculis cauillari, quam eos qui iactitant ſeſe uerba negligere, rem ipsam ſpectare. Quapropter utraq; in genere ſtatiuſ optima, & quidē ab optimis ſunt diſcenda. Quid enim ſtultius, quam magno labore diſcere, que poſtea maiori cogaris diſcere? Nihil autem faciliuſ diſcitur, quam quod rectum, ac uerum eſt. At praua ſi ſemel inhaſerint ingenio, diſctu mūrum, quam non poſſint reuelli. Primū igitur locū Grammatica & Græca & Latina. Non modo quod bis duabus linguis omnia fermè ſunt prodiſta, quæ digna cognitu uideantur, uerū etiā quod utraq; alteri ſic affinis eſt, ut ambæ ciuitiū percipi queant coiunctim, quam altera ſine altera, certe quam Latina ſine Græca. A Græcis auſpicari nos mauult Quintilianus, ſed ita, ſi hiſ literis perceptis, non longo interuallo Latinā ſuccedant. Sanè utrasque pari cura tuendas eſſe monet: atq; ita futurum, ut neutrae alteris officiant. Ergo utriuſq; linguae rudimenta & ſtatiuſ, & ab optimo p̄ceptore ſunt haurienda. Qui ſi forte non contingat, tum (quod eſt proximum) optimis

DE RATIONE

certe ut edum autoribus, quos equidē per paucos, sed dele-  
tos esse uelim. Inter Grēcos Grammaticos nemo non  
primum locum tribuit Theodoro Gaze, proximum mea  
sententia Constantinus Lascaris sibi iure suo uendicat.

**Grēci gram-  
matici,** **Latinī,** Inter Latinos uetusiores Diomedes. Inter recentiores  
haud multum uideo discriminis, nisi quōd Nicolaus Pe-  
rottus uidetur omnium diligentissimus, citra supersticio-  
nem tamen. Verum ut huiusmodi præcepta fateor necessā-  
ria, ita uelim esse, quoad fieri posit, quam paucissima,  
modo sint optima. Nec unquam probauit literatorū uul-  
gus: qui pueros in his inculcandis complures annos re-  
morantur. Nam uera emendate loquendi facultas optime  
paratur, cum ex castigate loquentium colloquio conui-  
ctuīs, tum ex eloquentium autorum assidua lectione: è  
quibus ij primum sunt imbibendi, quorū oratio præter-  
quam quōd est castigatissima, argumenti quoq; illecebra

**Quinam auto-  
res precipue le-** aliqua discentibus blandiatur. Quo quidē in genere pri-  
mas tribuerim Luciano, alteras Demostheni, tertias He-  
rodoto, Rursum ex poëtis primas Aristophani, alteras

Homero, tertias Euripidi. Nam Menandrum, cui uel pri-

**Latinī,** mas datus eram, desideramus. Rursum inter Latinos  
quis utilior loquendi autor, quam Terentius? purus, ter-  
sus, & quotidiano sermoni proximus, tum ipso quoq; ar-  
gumenti genere iucundus adolescentiæ. Hunc si quis sele-  
ctas Plauti comedias putet addendas, quæ uacent obsec-  
nitate, equidem non repugno. Proximus locus erit Vergi-  
lio, tertius Horatio, quartus Ciceroni, quintus C. Cas-  
ri, salutistum si quis adiungendum arbitrabitur, cum hoc  
non magnopere contenderim: atq; hos quidem ad utrius-  
que

## S T V D I .

que linguae cognitionem satis esse duco. Neq; enim nūhi  
placent, qui in euoluendis hunc in usum autoribus, etiam  
quibuslibet, uitam omnem conterunt. Prorsus infantem  
existimantes eum, quem ulla chartula suffugerit. Ergo  
parata sermonis facultate, si non luxuriosa, certe casta,  
mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus.  
Tamen si ex his quoq; scriptoribus, quos expoliendae lin-  
guæ gratia legimus, non mediocris obiter rerum quoque  
cognitio percipitur, uerum ex instituto omnis ferè rerum  
scientia à Græcis autoribus petenda est. Nam, unde nam  
haurias uel purius, uel citius, uel iucundius, quam ab ipsis  
fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discende sint, & ex  
quibus potissimum præceptoribus, id aliâ fortasse rectius  
ostendemus. Interim ad primæ ætatis studia reuertamur.  
Ut igitur ex his autoribus unde linguae copiam petendā  
esse diximus, fructum capias & maturius, & ubero-  
rem, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter euoluen-  
dum, qui de Latini sermonis elegantia scripsit elegantis-  
sime. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pau-  
ca annotabis. Neq; enim te uelim per omnia, uelut addi-  
ctum, Laurentianis seruire præceptis. Adiuuabit hoc  
quoque, si figuræ grammaticas à Donato ac Diomedे  
traditas edidiceris, si carminis leges ac formas omnes te-  
nueris, si rhetorices summam, hoc est propositiones, lo-  
eos probationum, exornationes, amplificationes, transi-  
tionum formulas in promptu habueris. Conducunt enim  
haec non solum ad iudicandum, uerum etiam ad imitan-  
dum. His itaque rebus instructus, inter legendum auto-  
res non oscitâter obseruabis, si quod incidat insigne uer= Inter legendum  
notanda.

Laurentius  
Valla.

## DE RATIONE

bum, si quid antique aut noue dictum, si quod argumentum, aut inuentum acute, aut tortum apte, si quod egregium orationis decus, si quod adagium, si quod exemplum, si qua sententia digna quæ memorie commendetur. Isq; locus erit apta notula quapiā insigniendus. Notis autem non solum uarijs erit utendū, uerum etiam accommodatis,

Dialectice.

quo protinus quid rei sit, admoneant. Ad hæc si quis dialecticen addendam statuet, non admodum refragabor, modo ab Aristotele eā disceat, nō ab isto loquacissimo sophistarum genere: neq; rursum ibi desideat, & uelut ad scopulos (ut inquit Gellius) sireneos consenescat. Verum illud interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stilum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligenter exercendus. Neq; negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tamet si locis & imaginibus adiuuari non inficior, tamen tribus rebus potissimum constat optima memoria: Intellectu, ordine, cura. Siquidem bona memoria pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiam quæ semel exciderint quasi postliminio in animū reuocemus. Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum, plurimum ualet. Itaque quæ meminisse uelis, ea sunt attētius, ac crebrius relegēda, deinde sēpius à nobis ipsis exigenda, ut si quid forte suffuderit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admoneatur. Adiuuabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria. Vcluti locorum, quos tradunt Cosmographi, pedum metriconum, figurarum grammaticarū, genealogiarum, aut si qua sunt similia, ea quām fieri potest breuiſime simul

Stilus exercen-  
dus.

Memoria.

adiuuans

mul ex luculentissime in tabulas depicta, in cubiculi pa-  
rietibus suspendantur, quo paſim & aliud agētibus ſint  
obvia. Item ſi quædam breuiter, ſed inſigniter dicta, ue-  
lūt apophthegmata, proverbia, ſententias, in frontibus  
atq; in calcibus ſingulorū codicu inſcribes, quædam anu-  
lis, aut poculis inſculpes, nonnulla pro foribus, & in pa-  
rietibus, aut uitreis etiā fenestris depinges, quo nusquam  
non occurrat oculus, quo d eruditioñ adiuuet. Hęc enī  
tamen ſi ſingula per ſe puſilla uideantur, tamen in unum  
collata aceruum, doctrinæ theſaurum lucre augent, haud  
quaquam negligendo. Et ēt cōfervat, id eft, hiſ  
opibus properanti diteſcere. Poſtremo illud non ad unum  
aliquid, ſed ad omnia ſimul plurimū cōducet, ſi frequēter  
alios quoq; doceas. Nusquam enim melius deprehenderis  
quid intelligas, quid nō. Atq; interim noua quædā occur-  
rūt cōmētanti, diſſerētiq;, nihil nō altius inſigitur animo.

### DE R A T I O N E I N S T I- tuendi diſcipulos.

**S**E D uideo te cupere, ut de docēdi quoq; ratione non  
nihil attingamus. Age, moſ geratur Viterio: quan-  
quam uideo Fabium hiſce de rebus diligentissime præ-  
pisse, adeo ut poſt hunc de iſdem ſcribere, prorsus impu-  
dentissimū eſſe uideatur. Ergo qui uolet iſtituere quem-  
piam, dabit operam, ut ſtatim optima tradat: uerum qui  
rectiſſime tradat optima, iſ omnia ſciat neceſſe eſt, aut ſi  
id hominis ingenio negatum eſt, certe uniuersiuiſq; di-  
ſciplinæ præcipua. In hoc non ero contentus decem il-  
lis, aut duodecim autoribus, ſed orbem illum doctri-  
nae requiram, ut nihil ignoret, etiam qui minima paret

Docentem  
mania ſciare ne-  
cessarium.

6 4 docere.

## S DE RATIONE

docere. Erit igitur huic per omne scriptorum genus uagandum, ut optimū quenq; primum legat, sed ita ut neminem relinquat ingustum, etiam si parum bonus sit auctor. Atq; id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam, ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam incidenter annotandum, id suo ascribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat, in secundo de Copia commentario demonstrauimus. Verum si cui uel ocium, uel librorum copia defuerit, plurima Plinius unus

Astoriſ qui uaſſuppeditabit, multa Macrobius & Athenaeus, uaria Gel-  
lia ſcripſerunt. Philosophi.

Theologi. tum utring; mixtus Plotinus. Ex Theologis secundum diuinas literas, nemo melius Origene, nemo subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. In- ter Latinos duo duntaxat insignes in hoc genere, Am- broſius mirus in allusionibus, & Hieronymus in ar- canis literis exercitatisimus. Quod si minus uacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in praesentia catalogum texere, non est ratio.

Poetæ. Certe propter Poetarum enarrationem, quibus mos est ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenenda est fabularum uis, quam unde potius petas, quam ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamor- phoses, ac Fasti Nasonis non leue momentum adferent,

Cosmographi, etiam si Latine scripti. Tenenda Cosmographia, que in historijs etiam est uisi, nedum in poetis. Hanc breuiſime tradit Pomponius Mela, doctiſime Ptolemaeus, diligen-

diligentissime Plinius. Nam Strabo non tantum hoc agit.  
 Hic præcipua pars est obseruasse quæ montium, fluminū,  
 regionum, urbium, uulgo recepta uocabula, quibus antiquis  
 respondent. Eadem debet esse cura in arborum,  
 herbarum, animantium, instrumentorum, uestium, gem-  
 marum nominibus. In quibus incredibiliter, quām nihil  
 intelligat literatorum uulgs. Horum notitia partim ē  
 diuersis autoribus, qui de re rustica, de re militari, de ar-  
 chitectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de na-  
 turis animantium conscripscrunt, colligitur. Quanquam  
 Iulius Pollux ex professore rerum uocabulis tradidit, que <sup>Iulius Pollux.</sup>  
 utinam tam accurate distinxisset, quām congesit copiose,  
 partim ex etymologijs, partim ex ijs linguis quæ prisci  
 sermonis & incorrupti manifesta uestigia seruant in  
 hanc usque ætatem. Cuiusmodi lingua Constantinopoli-  
 tanorum, Italorum, & Hispanorum, nam Gallorum oratio  
 longius degenerauit. Tenenda antiquitas, quæ nō mo- <sup>Antiquitas.</sup>  
 do ex uetusis autoribus, uerumetiā ē numismatis priscis, <sup>Genealogia</sup>  
 è titulis saxisq; colligitur. Ediscenda & deorum genea- <sup>deorum.</sup>  
 logia, quibus undique referre sunt fabulæ. Eam post He-  
 siodium felicius quām pro suo sæculo, tradidit Boecadius.

Non ignoranda Astrologia, quod hæc pañim suis figmen <sup>Astrologia.</sup>  
 tis aspergunt poëtae, præsertim Higini. Tenenda rerum  
 omnium uis, atque natura, propterea quod hinc similia,  
 epitheta, comparationes, imagines, metaphoræ, atque  
 alia id genus schemata solēt mutuo sumere. In primis au- <sup>Historia.</sup>  
 tem omnis tenenda est historia, cuius usus latissime patet,  
 nō tantum in poëtis. Nam si quis Prudentium, unum inter  
 Christianos uere facundū poëtam, uolet enarrare, literas

## 10 DE RATIONE

etiam arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiae, nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, quæ non usui sit ijs, qui poëtas, aut oratores antiquos suscepserint enarrandos. Sed video iamdum frontem contrahis. Næ tu inquis, inmensum onus imponis etiam literatori. Onero sanè, sed unum, ut quamplurimos exonerem. Volo ut unus euoluat omnia, ne singulis uniuersa sint euoluenda.

**I**am uero de formando puerorum ore, deq; tradendis ceu per lusum, io cumq; literarum figuris, satis præcepit Fa bius. E quidem post tradita elemēta prima, malim ad usum loquendi statim uocari puerum: Etenim cum intra pauculos menses, quāvis barbaram linguam atas ea sonet, quid uetat quo minus idem fiat in lingua Græca siue Latinae? Verum id nec in magno puerorum grege locum habet, et domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoq; dabit operam, ut siue pluribus loquatur, siue seorsum uni, quam potest emendatissime dicat. Quædam obiter interpretetur, et ut imitetur, admoneat. Loquentes illos aliquoties collaudet, siquid dictum erit aptius: aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet, ut illi quoq; confuscant circumspectius et accuratius loqui, et præceptorem loquentem attentius obseruent. Iuuabit et illud, si præpositis premolis, aut penis, uelut ex lege p uocentur, ut ipsi quoq; inter se se aliis alium emendent. Porro præceptor eruditiores aliquot deliget, qui controuersiam finiant. Neq; fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conuiujs uti debet. Has sic oportet esse

esse doctas, ut simul et faciles sint, et iucundae. Porro do-  
ctor ille diligens et doctus, ac rigor iudicio, non grauabi-  
tur, collatis omnibus grammaticorum preceptis, excerpere  
quædam, et simplicissima quoad fieri potest, et brevissima,  
tum ordine quam maxime commodo. Posteaquam ea tra-  
didit, statim ad autorem aliquem ad id accommodatissimum,

ac loquendi, scribendique consuetudinē uocentur. Hic precep-  
tiones ante triditas ut incident, exemplaque diligenter

inculcabit, quibus etiam addet nonnihil, uelut iam tum ad

maiora preparans. Hinc iam thematis exerceri debent. Thematiss ex-  
ercendi pueri.

In quibus illud in primis cauendum, ne (quod fieri solet)

aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutā ali-

quam, aut uenustam habeant sententiā, quae tamen ab in-

genio puerili nō nimium abhorreat, ut interim aliud age-

tes, simul et aliquid discant, in grauioribus studijs usui

futurum. Habeat igitur thema, quod pueris proponat, aut

historiam memorabilem. Quod genus sunt illa, Marcelli

præceps calor rem Romanā subuertit. Fabij prudens cū-

statio restituit. Quāquam hic subest etiam sententiā, nimi-

rum præcipitata consilia parum feliciter euenire solere.

Item, difficile iudicatu sit, uter altero fuerit stultior, Cræ-

tes, qui aurum abiecit in mare, an Midas, qui existimauit

nihil auro melius esse. Itē, Demostheni ac Ciceroni immo-

dica eloquētia exitio fuit. Ursus, Nulla laus Codri. Rea-

gis meritis par esse potest, qui ciuiū salutem propria uitæ

dispendio redimendā putauit. Sed non magni negotij fue-

rit huiusmodi uim ex historiographis, præcipue Valerio

Maximo, colligere. Aut fabula habeat, ut illud, Hercules

expugnandis monstribus immortalitatem sibi parauit. Musæ

fontibus

## DE RATIONE

fontibus ac nemoribus unice gaudent, à fumosis urbibus  
 abhorret. Aut apogum, ut, Recte docuit Caſita nō esse  
 cōmittendum amicis negocium, quod per te possis confa-  
 cere. Item, Manticam pectori propendētem uidēt omnes,  
 eam quæ à tergo pendet, uidet nemo. Item, Sapiebat uul-  
 pes, quæ maluit muscas iam prope saturas retinere, quān-  
 his expunctis, uacuas ac sitientes admittere, quæ quicquid  
 reliquum esset sanguinis, epotarēt. Aut apophthegma, ut,  
 Longe dissentiebat à uulgo nostræ etatis, qui maluit ui-  
 rum absque pecunia, quam pecuniam sine uiro. Item, Iu-  
 re Socrates contemnit eos qui non edunt ut uiuant, sed  
 uiuant ut edant. Merito non probauit Cato eos, qui plus  
 sapiunt palato, quam animo. Aut prouerbium, ut, Ne fu-  
 tor ultra crepidam. Et, Non cuiuslibet hominis Corinthū  
 nauigare. Ac nos quidem æditis tot chiliadibus, effecimus,  
 ne difficultis esset horum inuentio. Aut sententiam, ut, Ni-  
 hil carius constat, quam quod precibus emitur. Et, Obſe-  
 quium amicos, ueritas odium parit. Et, Amici, qui procul  
 absunt, amici non sunt. Aut rei cuiuspiam insignem natu-  
 ram. Ut, Magne ad se ferrum attrahit, Naphtha ignem.  
 Item, Palmæ ea est natura, ut pondere imposito, non mo-  
 do non deprimatur ad terram, uerum etiam sursum nitat-  
 tur, ex altius erigat sese. Item, Mirum Polypi ingenium,  
 qui ad speciem subiecti soli mutat colorem, quo fallat in-  
 fidias pectoris. Aut figuram eximiam, puta gradationē.  
 Diuitiae luxum pariunt, luxus saturitatem, saturitas fe-  
 rocitatem, ferocitas odium multorum, odium perniciem.  
 Aut similitudinem. Ut quemadmodum ferrum si exerceas,  
 usu atteritur, si non exerceas, exeditur rubigine: Ita in-  
 genium

genium si exerceas, labore absurbitur, si non exerceas,  
 magis otio, situ' que laeditur. Aut allegoriam. Ut Non est  
 addendus ignis igni, non est addendum oleum incendio.  
 Aut commutationem. Ut Non ideo te talem iudico, quod  
 uehementer amem, sed ideo uehementer amo, quod talem  
 iudicarim. Aut distributionem. Stultior est, quam ut pos-  
 sit tacere, infantior, quam ut possit loqui. Simplicior est,  
 quam qui possit mentiri, grauior quam ut uelit. Sed mihi  
 sat est indicasse tantum, aut exquisitam aliquam elegan-  
 tiam, cuius rei non est necesse ponere exemplum. Nihil  
 autem obstat, quod minus plures commoditates in eandem  
 incident orationem, ueluti sententia, historia, proverbiū,  
 et figura. Ergo præceptor, quem oportet assidue in bonis  
 autoribus obuersari, huiusmodi ceu flosculos undiquaque  
 colliget, eosq; delectos proponet, aut etiam in eam for-  
 man demutabit, ut puerorum ingenij sint accommodati.  
 Postquam his rebus ad aliquātam sermonis peritiam pro-  
 uectus erit puer, tum si uidebitur, ad maiora grammati-  
 ces præcepta reuocetur. Que per locos & ordines quo= Maioribus grā  
 dam ita tradenda sunt ut primo loco simplicissima propo matices præce-  
 ptis.  
 nantur, eaque paucis. Deinde utcunque adolescunt discen-  
 tium ingenia, ita maiora suis queque locis oportebit sub-  
 ijcere. Is ordo cuiusmodi sit, è Theodori Gazæ Gramma-  
 tica exemplum summas licebit. Nec in his tamen uelim eos  
 detineri longius, sed illico ad autores grauiores reuocari.  
 Præsertim si prius summam illam, de qua dixi, rhetorices,  
 ac figuræ, & carminum formas teneant. Interim thema-  
 tis quoque difficilioribus sunt exercendi, in quibus deli- Thematis diffi-  
 gendas ac narrandas, diligentem ac doctum præceptorem cilloribus.  
 requi

requiram. Qui si sit mediocris, modo sit idem modestus, non grauabitur hæc ab alio doctiore petere. Thematum autem formæ huiusmodi sere possint esse. Nunc epistole breuis argumentum, sed argutum, lingua vulgari proponat, Latine Græceq; aut utroq; sermone tractandum. Nunc apogrum. Nunc narratiunculam non insipidam. Nunc sententiam ex quatuor constantem partibus, utriq; simili aut ratione subiecta. Nunc argumentationem quinq; tractandam partibus. Nunc dilemma duobus. Nunc explicationem quam uocant, septem partibus explicandam. Ali quando tanquam ad rhetorica præludētes, unum aliquod membrorum seorsum tractent. Cuiusmodi progymnasma scripsit Aphthonius. Ali quando laudem, uituperationem, fabulam, similitudinem, comparationem. Ali quando figuram, uel descriptionem, distributionem, sermocinationem, subiectionem, notationem. Aliquoties iubeantur carmen aliquod soluere, aliquoties solutam orationem pedibus alligare. Interim Plinianam, aut Ciceronis epistolam, uerbis ac figuris imitantur. Nonnunquam eandem sententiam variatis uerbis ac figuris, sèpius effrant. Nonnunquam eandem Græce simul ac Latine metro & oratione prosa uarent. Nonnunquam eandem quinque aut sex carminum generibus, quæ doctor præscriperit, explicitent. Nonnunquam sententiam eandem per locos quam plurimos ac schemata diffingant. Plurimum autem fructus est in Græcis uertendis. Quare conueniet eos, hoc in genere sèpiissime ac diligentissime exerceri. Nam simul & exercetur ingenium in deprehendendis sententijs, & utriusq; sermonis uis ac proprietas penitus inspicitur, & quid nobis

in Græcis uertendis.

Bis cum Græcis commune sit, quid non, deprehenditur.  
 Denique ad reddendam Græcanicam emphasim, omnes  
 Latinæ lingue opes excutias oportet. Hæc si initio pue-  
 ris difficultia videbuntur, tum usū sient facilitiora, tum præ-  
 ceptoris ingenium, ac studiū bonam negotij partem pue-  
 ris admet, indicantis quæ putet esse supra uires illorum,  
 atque ijs interim excitamentis crebræ prælectiones auto-  
 rum nusceantur, ut suppetat quod imitentur. Quanquam  
 is, qui docet, proposito themate, simul uerborum quoque  
 & figurarum copiam debet indicare. sub hæc ad inue- Ad inuentionem  
 niendi quoque laborem prouocantur, ita propositis nudis prouocandi.  
 argumentis, ut suo quisque Marte reperiatur, quæ pertine-  
 bunt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam. Et  
 hic delectum ac uarietatem requiram à præceptoris eru-  
 diti diligentia, gustum interim exhibeo. Sæpius argu-  
 mentum epistolæ proponat suasoria, dissuasoria, exhorta-  
 toria, dehortatoria, narratoria, gratulatoria, expos-  
 tulatoria, commèdatoria, consolatoria. Et uniuscuiusq;  
 generis naturam, locos, ac formulas quasdam communes:  
 deinde etiam arguento proposito, peculiares indicabit.  
 Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diuersis  
 generibus, puta si iubeat eos uituperare Iulium Cesa-  
 rem, aut laudare Socratem, in genere demonstratio-  
 nis. Item statim optima discenda. In opibus nō esse felicitatem.  
 Matrē proprio lacte nutrire debere, quod peperit. Literis  
 Græcis nō esse dandā, aut esse dandā operā. Vxorem esse  
 ducendā, aut nō esse ducendā. Peregrinandū esse, aut non  
 esse peregrinandum, in genere suasorio. Item, M. Horac-  
 ium indignum esse supplicio, in genere iudicali. Verum  
 banc

## DE RATIONE

hanc palestram primum ingredientibus, non grauabitur  
is, qui docendi prouinciam suscepit, primum indicare,  
quot propositionibus id argumentum tractari possit.  
Præterea propositionum ordinem demonstrabit, & quo  
pacto alia ex alia pendeat. Deinde quot rationibus una-  
quæque propositio fulciri debet, quot confirmationibus  
unaquæque ratio. Tum circumstantias ac locos unde ista  
peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exem-  
plis, collationibus, sententijs, proverbijs, fabulis, apolo-  
gis unaquæque pars locupletari queat. Ostendat & sche-  
mata, si qua insigniter uidebuntur incidere posse, que uel  
acriorem, uel ampliorem, uel magis dilucidam, uel iucun-  
diorem reddant orationem. Si quid erit amplificandum,  
rationem demonstret, sive per locos communes, sive per  
eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quinti-  
lianuſ. Quod si qui incident affictus, hi quoque quo  
pacto tractandi sint, admonebit. Quin & connectendi  
rationes prescribat, quis sit optimus futurus transitus, ab  
exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à  
diuisione ad argumentationem, à propositione ad propo-  
sitionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad  
epilogum, aut perorationem. Ostendat & formulas ali-  
quot, quibus ibi commode possint exordiri, aut etiā per-  
orare. Postremo si potest, locos aliquot in autoribus indi-  
cit, unde ualeant aliquid imitandū sumere, propter rerum  
affinitatem. Id ubi septies, aut octies erit factum, iam inci-  
pient (quod ait Horatius) sine cortice nare. Et satis erit  
nudum thema ministrasse: nec necesse fuerit, semper uelut  
infantibus cibum præmansum in os inserere. Nec mihi di-  
splicet

splicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in  
 usu uideō fuisse, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergi  
 lio, aut etiā ex historijs aliquando legātur themata. Puta,  
 ut Menelaus apud Troianā cōcionē repeatat Helenā. Aut  
 Phœnix suadat Achilli, ut redeat in præliū. Aut Ulysses  
 suadeat Troianis, ut Helenam reddant, potius quām bellū  
 experiantur. Quo in genere extant aliquot Libanij &  
 Aristidis declamationes. Præterea, uti suadeat aliquis ami-  
 cus Ciceroni ne conditionē ab Antonio oblatā accipiat,  
 quod argumentū est apud Senecam, Vti Phalaris suadeat  
 Delphis, ut taurum ēneum deo suo cōfescrent. Ad hoc ge-  
 nus pertinet epistolæ, quæ Phalaridis ac Brutii nomine cir-  
 eunferuntur. In emendando collaudabit, si quid felicius in-  
 uentum, tractatum, aut imitatiū uidebitur, si quid præter-  
 missum, aut non suo loco positum, si quid nimium, aut re-  
 missius, si quid obscurius, aut etiā si quid parum elegāter  
 dictū erit, admonebit. Et quo pacto mutari posset ostendet,  
 ac mutari, & sèpius iubebit. Extimulabit autē præci-  
 pue dissentī animos, cōparatione profectus, uelut ēmu-  
 latione quadā, inter ipsos excitata. Nam in prælegendis au-  
 toribus nolim te facere, quod praua quadam ambitione  
 uulgas professorū hodie facit, ut omni loco coneris omnia  
 dicere, sed ea dumtaxat, quæ explicando præsenti loco  
 sint idonea, nisi si quādo delectandi causa digrediendum  
 uidebitur. Quod si huius quoq; rei rationem à me requiri-  
 sis, hæc mihi quidē uidebitur optima. Primo loco ad con-  
 ciliandos auditores, laudes eius, quem prælegendum su-  
 mit, paucis explicet. Deinde argumenti iucunditatē, uti-  
 litatemq; ostendat. Mox uocem argumenti, si fortè (ut  
 b faciunt

Observanda in  
 autoribus præ-  
 legendis.

faciunt pleriq; uarios habeat usus, explicit ac distinguat. Véluti comœdiam (ut hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in primis de autoris fortuna, de ingenio, de sermonis elegantiâ paucis differat. Deinde quantum habeat et voluptatis et utilitatis comœdiarum lectio, deinde quid significet ea vox, et unde dicitur, et quot sint comœdiarum genera, et quæ sint comœdiae leges. Deinde quâm potest et dilucide, et breuiter summam explicit argumeti. Carminis genus diligenter indicet. Post ordinet simplicius, deinde singula fuisse explicit. Ad hec si qua insignis elegantia, si quid priscum dictum, si quid mouatum, si quid Græcanicum, si quid obscurius aut longius redditum, si durior aut perturbatior ordo, si qua etymologia, si qua deriuatio aut compositione scitu digna, si qua orthographia, si qua figura, si qui loci rhetorici, si qua exornatio, si quid depravatum, diligenter admoneat. Tum loca similia ex autoribus conferat, si quid diuersum, si quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid aliunde translatum, aut mutuo sumptum, ut sunt pleraq; Latinoru à Græcis profecta, ne id quidem taceat. Postremo ad philosophiam ueniat, et poetarum fabulas apte trahat ad mores, uel tanquam exempla demostret, ut Pyladis et Orestis, ad amicitiae commendationem. Tantali fabulam, ad auaricie detestationem. In his non mediocriter adiuuabit docentem Eustathius, Homeri interpres. Atque ita fiet (si modo sit ingenij dextri praceptor) ut etiâ si quid inciderit, quod inficere possit etatem illam, non solum, non officiat moribus, ueruetia utilitatem aliquâ adserat, uidelicet animis partim ad annotationem inten-

intentis, partim ad altiores cogitationes auocatis. Veluti  
si quis praelecturus secundam Māronis æglogam, commo-  
da præfatione præparet, uel potius premuniat auditorū  
animos ad hunc modum, ut dicat, Amicitia non coire nisi  
inter similes, similitudine enim esse benevolentie mutua  
conciliatrix, contrā dissimilitudinem odij, dissidijs pa-  
rentē. Quoq; maior ac uerior, stabiliorq; similitudo fue- Similitudo.  
rit, hoc firmorē, atq; arctiore esse amicitia. Id nimis sibi  
uelle tot apud autores prouerbia. Boni ad bonoru conui-  
tia, & inuocati accedunt: Et, simile gaudet simili: Et, æqua-  
lis æqualem delectat: Et, æqualem tibi uxorem quere: Et,  
ut semper simile ducit deus ad similem: Et, semper gracu-  
lus aſidet graculo: Et, similes habent labra lactucas: Et,  
pares cum paribus facillime congregantur: Et, Cascus  
Cascam dicit: Et, balbus balbum rectius intelligit: Et, ci-  
cada cicadæ chara, formica formicæ: Et, Crēensis cum  
Aegineta. Cōtra tot dissimilitudinis adagia, nihil aliud si- Dissimilitudo.  
bi uelle, quam inter eos, qui dissimili sunt fortuna, dissimili-  
uitæ instituto, dissimilibus studijs, aut omnino non coire  
amicitiam, aut si coierit, non cohærere, citoq; dirimi: atq;  
ob id fieri, ut idiota studiosum literarum oderit, propheta-  
nus sacerdotem, rusticus aulicum, iuuenis senem. Atque in  
eodem genere, Epicureus Stoicū, Philosophus Iuriscon-  
sultum, Poëta Theologū, balbus eloquentem. Hinc gemi-  
norum gratiam fratum, Amphionis & Zeti penè dissimil-  
ijſſe, quod alter lyræ studiosus esset, alter agris colendis  
gauderet: ac dissilierat, nisi Amphion abiecta lyra, fratri  
ingenio cessisset. Ob eandē causam insyncera fuit Casto-  
ris & Pollucis amicitia, neq; caruit infamia tētati parri-  
z. b z cidijs,

## DE RATIONE

cidijs, cum uterque eodem ex uno essent prognati: ut iam magis esse gemelli non possent, quod alter pugil esset, alter equus delectaretur. Hinc male conuenisse Remo cum Romulo, quod alter tristioribus, ac severis esset moribus, alter blandior, unde & Romulo pro Romo mutatum nomen. Pejorime conuenisse Caim cum Abel, quod diuerso uitae genere caperetur. Summum autem amore summa similitudinis esse comite, atque ideo factum a poëtis quemadmodum Narcissus, ante ab omni abhorrens consortio, simul atque suam ipsius imaginem in limpidissimo fonte cōspexit, protinus amore flagrantissimo cœpit ardere. Quid enim nostri similius, quam ipsa imago? Ergo cum doctus doctrinam, sobrius sobrium, modestus modestum, probus probum, nihil aliud amat uterque, quam suam ipsius in altero imaginem, hoc est seipsum, sed alio modo. Verum ea similitudo, si quidem sita est in bonis animi, quæ uere sunt bona, hoc est pietate, iustitia, temperantia, tum eiusmodi nascitur amicitia, cuiusmodi sunt et res, quibus amicitia conciliatur, hoc est honesta, uera, synecra, stabilis, eterna. Contraria, si in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec uere esse amicitiam, nec iucundam, nec diuturnam ostendet. Proinde Platonem duas finxisse Veneres, alteram celestem, alteram terrestrem. Duos item Cupidores, suæ utrumque matris respondentes. Celestem ueras gignere formas, et huius filium ueros et honestos immittere amores. Inter bonus semper amore esse mutuum, inter vulgares plerique alterum amare, alterum odire, alterum persequi, alterum fugitare. Id accidit ferè propter ingeniorum uitaeque dissimilitudinem. Quod quidem eleganter significat apud poëtas Cupido,

rido, qui nonnunquam hunc aurea cuspide figit, illū plū-  
bea, illum ut amet, hunc ut abhorreat, atq; hoc amicitiae  
genere nihil esse potest infelicius. Eius igitur amicitiae ma-  
le cohærentis, quasi simulachrum quoddam in hac æglo-  
ga proponit Vergilius. Corydon rusticus, Alexis urba-  
nus: Corydon pastor, Alexis aulicus: Corydon indoctus  
(nam huius carmina vocat incondita) Alexis eruditus: Co-  
rydon ætate prouectus, Alexis adolescens: Corydon desor-  
mis, hic formosus. Breuiter, disimilia omnia. Quare pru-  
denitis est amicū suis moribus aptum deligere, si uelit ama-  
ri mutuū. Hæc inquam si præfetur, tum autem locos de-  
monstratorios perperam, & Bucolicè à rustico affecta-  
tos indicet, nihil opinor turpe ueniet in mentem auditori-  
bus, nisi si quis iam corruptus accesserit. Nam iste uene-  
num non binc hauserit, sed huc secum attulerit. Hoc exem-  
plum uerbosius exposui, quo facilius in cæteris item sibi  
quisq; similia reperiat. Iam in aggressu cuiusq; operis cō-  
ueniet in genere demonstrare, quæ sit argumenti natura,  
& quid in eo potissimum sit spectandum. Velut in epigrā-  
matis argutam breuitatē laudari. Tum iocandi rationes,  
quas Fabius & Cicero tradunt, indicabit. Hoc genus præ-  
cipue gaudere epiphonematis, commode in fine adiectis,  
quæ cogitationem uelut aculeatam in animo lectoris relin-  
quant. In Tragœdia præcipue spectādos affectus, & qui  
dem ferè aciores illos. ij quibus rebus moueantur, paucis  
ostendet. Tum argumenta ueluti declamantium. Postre-  
mo descriptiones locorum, temporum, rerum, aliquoties  
& argutas altercationes incidere, quæ nunc distichis,  
nunc singulis uersibus, nunc hemistichijs absoluantur. In

b 3 comœdia

## DE RATIO NE

tōmē dia cum primis obseruandum esse decorum, & uitae communis imitationem, affectus esse mitiores, & iucundos magis quam acres. Decorum autem in primis spectari, non solum illud commune, ut adolescentes ament, lenones peierent, blandiatur meretrix, obiurget senex, saltat seruus, iactet se miles, atque id genus alia: uerum peculiare quoddam, quod suo arbitratu alijs aliud affingit poeta. Velut in Andria duos inducit senes, longe diuerso ingenio. Simonem uehementem, ac submorosum, haud stultum tamen, nec improbum. Contra Chremetem ciuilem, ac semper placidum, ubique sibi presentem, omnia quantum potest pacantem, at ita tamen lenem, ut minime stupidum. Duoū item adolescentes dissimili natura. Pamphilum cordatum pro ratione etatis, & consultabundum, sed acriorem, ut Simonis filium possis agnoscere. E' diuerso Charinum puerilem, ineptum, consilijq; inopem. Rursum seruos duos diuersis moribus. Dauum uafrum & consilij abundantem, ac sperandi pertinacissimum autorem. E' regione Birriam nullius consilij, tantu perpetuum despirationis autorem hero. Ad eundem modū in Adelphis, Mitionem etiam in obiurgando mitem, ac festiuum. Demcam etiam in blandiendo amarulentum. Rursum Aeschinum propter urbanæ uitæ consuetudinem, & Mitionis fiduciam nihil nō audentem, sed ita ut probum ingenium deprehendas, officiosum in fratrem, fidum in puellam. E' diuerso Ctesiphontem subrusticum ac timidum, propter carum rerū insolentiam. Syrum callidū & audace, nihilq; non simulantem, ac dissimulantem adeo, ut sola ebrietas detexerit illius fūcos. Dromonem stupidum, atq; hebetem.

Sed

Sed ista persequi non huic est instituti: in præsentia satis  
est uiam indicasse. In æglogis admoneat esse aurei seculi,  
ac prisca illius uite imaginem. Proinde quicquid illic est  
sententiarum, similium, aut comparationum, à uita pasto=  
rali sumi: affectus sunt simplices, cantionibus, sententijs, ac  
proverbijs delectantur, superstitutione & augurijs captiun=

tur. Ad eundem modum, quid propriū habeat carmen he=

roicum, quid historia, quid dialogus, quid apolodus, quid

satyra, quid oda, quid reliqua scripti genera curabit ad=

monere. Tum quæ sint singulorum autorū in singulis ar=

gumentis dotes, aut etiam uitia, non grauabitur indicare:

quo iam tum assuecant adolescentes, ei quod est in omni

re præcipuum, iudicio. Atq; in hac parte præceptorem,

præter artem & ingenium, adiuabit etiam libellus Cice

ronis de claris oratoribus, & Quintiliani, Senecæ, atq;

Antonij Campani descriptoribus cœsure, neq; non uete-

res interpretes, præcipue Donatus hac in re peculiariter

occupatus. Huc pertinet & consilij ratio: ueluti quare

M. Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere. Et

quare Vergilius tantoper laudibus uehat Turnum hostē

Aeneæ. Et quare abdicatus medicus apud Lucianum non

lædit nouercam, sed magis laudat, & in patrē acrior est,

quam in nouercam. Sed id quoq; in immēsum patet. At iu-

dicabit aliquis hec nimium habere negotij, e quidem præ-

ceptorem eruditum, longoq; usu exercitatum uolo esse. Is

si continget, hæc etiā facile percipiēt pueri. Quod si qua

initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescēt.

Optima certe sunt, nisi fallor, & optimis conuenit statim

assuēscere, quanquam hæc non ubiq; omnia sunt inculca-

da, ne

- 3 1 M I T

da, ne tedium grauentur ingenia discentium, sed ut incideant insigniora. Neque uero minorem adhibeat curā p̄ceptor in exigendo quae commiserit, quam in p̄allegēdo. Est omnino labor hic docenti grauiſſimus, sed discentibus utiliſſimus. Nec ordinem exigat dūtaxat, sed quicquid scientiū dignum fuerit creditum, id affuscant bona cum fide reddere. Neque uero deterreat ab hac re difficultas, quae uel menstruo temporis ſpacio uincitur. Mibi nūquam plauit, ut omnia dictata ſcribant adolescentes. Fit enim hoc pacto, ut memoriae cultus negligatur, niſi ſi q̄ pauca quedam notulis uelint excipere, idq; tantisper donec uſu confirmata memoria, scripti non desidereret adminiculum. Postremo tantum arbitror eſſe momenti in commoda docendi ratione, ſi modo diligens & eruditus contigerit p̄ceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negotio, ac paucioribus annis adolescentes ad utriusq; lin-  
 gue mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modo dentur ingenia nō omnino infelicia, quam iſti literatores ad qualemq; illam ſuam balbutiem uel infantia potius prouehunt ſuos. His igitur rudimentis puer in prima imbutus ſchola, deinde bonis auibus ad altiores disciplinas coferat ſeſc, & quoctq; ſe uerterit, facile declarabit, quā topere referat ab optimis auſpicatum fuſſe. Hęc habui in p̄aſentia mi chariſſime Petre, quae tibi de ſtudij ratione ſcriberem: ea ſi placent, utere, ſin minus, ſedulitatem certe noſtram pro tuo candore boni conſules. Tu modo perge, ita, ut iſtituifſti, in bonas literas incubere, ac Galliā tuam alioqui florentiſſimā, honestiſſimis etiā ſtudijs illuſtra.

F I N I S.